

bus cuiuscumque persone, loco vel universitati concessas necnon consuetudines quaslibet premissis quomodolibet obviantes, inquantum contra premissa forent, tollimus, revocamus, cassamus, irrita et inania penitus iudicamus, promittentes pro nobis et nostris successoribus, quod nos dictum archiepiscopum suosque successores in premissis libertatibus, iuribus et graciosis concessionibus, in quibus omnibus latissimam interpretationem fieri volumus, et in aliis suis iuribus tam in personis quam rebus ipsorum ac eorum subditorum fovere et conservare per nos, nostros ac imperii subditos quoscumque volumus et tueri nec ipsis in premissis aut aliis suis iuribus et libertatibus ullum umquam impedimentum quomodolibet faciemus nec ab aliquo clam vel palam fieri patiemur; firmiter inhibentes, ne ullus umquam hominum ipsos infuturum super eis vel aliquibus eorundem molestare, inquietare vel aliquam coram nobis nostrisve successoribus aut vicariis, potestatibus, iudicibus aut subditis quibuscumque vel alia quavis occasione movere audeat questionem, ut, quod nobis licere non patimur, aliis fortius vetitum censeantur(!).

(3) Et si penas aliquas vel sentencias contra rebelles in premissis vel aliquorum(!) eorundem prefatus archiepiscopus eiusque successores protulerint vel aliquas penas seu mulctas regales vel imperiales ipsis inflixerint, super quibus etiam infligendis plenam potestatem et auctoritatem eisdem archiepiscopo et eius successoribus per presentes concedimus, huiusmodi penas, sentencias et mulctas ratas habebimus et eas extunc prout exnunc presentibus etiam confirmamus.

(4) Item si fortassis in premissis nostris nostrorumque predecessorum concessionibus graciosis vel aliis concessionibus quibuscumque, infeodacionibus vel impignoracionibus per nos vel nostros predecessores Romanorum reges vel imperatores seu alios nomine imperii predicto archiepiscopo vel ipsius predecessoribus et eorum ecclesie factis defectus aliqui reperirentur aut aliquid de solempnitatibus, que in talibus requiruntur de iure vel de consuetudine, sit omisum, huiusmodi defectus de nostre regalis plenitudine potestatis tollimus et id, quod defuerit vel omisum fuerit, supplemus et haberi volumus pro adiecto.

(5) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostre donationis, innovacionis, approbacionis, ratificacionis et confirmacionis paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, preter indignacionem nostram et imperii, quam ipsum incurrere volumus ipso facto, penam centum librarum auri puri, quarum medietatem fisco, id est nostre regali camere, reliquam vero archi-